



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, M. DCC. XIX.**

Canon XIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

## C A N O N   X I I I ,

CONCILIUM TRIDENTINUM *Sess. XXV. Cap. XI.*

**M**agnam Ecclesiis perniciem afferre, scilicet, cum earum bona representata pecunia in successorum præjudicium aliis locantur: omnes igitur hæ locationes, si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præjudicium successorum validè intelligantur: quocumque indulto, aut privilegio non obstante: nec hujusmodi locationes in Romana Curia, vel extra eam confirmentur; Non liceat etiam, jurisdictiones Ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in spiritualibus locare, nec conductoribus per se, aut alios ea exercere, aliterque concessionem etiam à Sede Apostolica factæ turreptitiæ censeantur &c.

## C O M M E N T A R I U M ,

**E**X hoc Canone sequens deducitur conclusio.

LICITUM NON EST LOCARE JUSPATRONATUS, SEU FACULTATEM NOMINANDI, ET DEPUTANDI VICARIOS, ET BENEFICIATOS. = Quam conclusionem firmat etiam *Lambertin. de jurepatr. lib. I. par. 2. quest. 8. n. 1. ibi = Et dic juspatronatus per se consideratum locari non posse = & sequitur Barbof. hic n. 6. & seq. Pacion. de locat. & conduct. cap. 11. nu. 31. & seqq. Carol. Anton. de Luc. ad Ventrigl. par. 1. annot. 1. §. 1. n. 3.*

¶ Quamvis in generali locatione Universitatis bonorum comprehendatur etiam juspatronatus ei annexum, ut firmavi superius *Par. II. Can. XIV. & XV. Cas. I.* tamen prohibetur locari juspatronatus per se sumptum, quia esset simonia.

Quoad hanc conclusionem vide quæ dixi *dicta Par. II. ubi supra.*